

§. 7. Primaria atheorum argumenta sunt sequentia,

I. quod omnes nostræ ideae, quas habemus, sint modo a rebus corporeis per sensus desumptæ, proindeque, quia Deus per nullum sensum cognosci potest, palam sit, non dari Deum. Resp. falsum esse, quod tota nostra cognitio sit sensualis, siquidem etiam de rebus abstractis & immateriatis, utpote de lege, virtute, prudentia, obligatione, pacto &c. ideas formare possimus. Add. Logic.

II. quod infinitas, quæ de Deo communiter predicatur, concipi nequeat, sitque sonus sine idea. Resp. falsissimum esse, quod terminus infinitatis sit vanus sonus, per illum enim indicamus ejusmodi ens, cui nulla perfectio potest addi, quodque est perfectissimum. e. g. infinita sapientia est sapientia perfectissima absque mixtura ignorantia & confusionis.

III. quod hominum timiditas & sollicitudo de futuro post hanc vitam statu opinionem de Dei existentia produxerit. Resp. concedendo quidem, haut paucas gentes timore inductas esse, ut divinitatem colerent, attamen inde non sequitur, omnes omnino homines ex solo metu ad credendum Deum fuisse incitatos, cum tot fundamenta a ratione sana suppeditentur, quæ homines de Dei existentia convincant.

IV. quod ignorantia cause phaenomenorum in sensus incurrentium permoverit homines, ut credant Deum, quandoquidem id semper homines Deo attribuant, de quo nullam rationem reddere possunt.

Resp.